



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Motova. Ex Veteri. Ex Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Dixitque Elias ad Elifaeum: sede hic; quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Elifaeus: vivit Dominus & vivit anima tua; quia non derelinquam te. 4. Reg. 2. 2. Et cum iterum Elias diceret ei: quia Dominus me misit in Jericho; iterum sic respondit. v. 5. Hic igitur, qui firmissimò animò sequitur Eliam; hæres sit duplicis spiritus ejus. Non durum, imò quietem offerebat: *Sede.* Sed maluit Elifaeus laborem itineris assumere, quam quietem sessionis; ut à magistro suo non separaretur. Nobis autem dicit Dominus Matth. 16. 24. *qui vult post me venire, abneget semetipsum.* Quid homini, & carni, gratum? sedere, quiescere, ridere, dormire, & epulari: hoc denega, ut Christum sequaris. Diez sequela Christi.

Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit: rem difficilem postulasti: attamen, si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti. 4. Reg. 2. 9. 10. Ecquid conditio hæc significat? quid intererat Elifaei, Eliam à se discedentem videre? Petiit, quod præcedere visionem illam oportebat: scilicet inseparabilem quandam discipuli cum magistro societatem. Unde dicente ei Eliam: *sede hic; quia Dominus misit me in Bethel;* respondit Elifaeus: *vivit Dominus &c. quia non derelinquam te.* Diez conc. 1. in Comm. unius M.

§. II.

Motiva.

Ex Veteri.

Secutusque est sibi filium Bochri, & separatus est omnis Israel à David. 2. Reg. 20. 2. 3. Vocat Mundus, ut decipiat, vocat caro, ut foedet; daemon, ut perdat: accurritur undique. Vocat Christus, ut salvet; & pauci sequuntur. Stellai in Luc. 9. 23.

Vanitas vanitatum. Eccl. 1. 2. Sanct. August. l. de quant. animæ c. 33. & de vera Relig. c. 21. & 33. Et alibi, legit: *vanitas vanitatum*, id est, vanitati ferventium: sunt enim facti, sicut ea, quæ dilexerunt. Aquila, Symmach. &c. Vertunt: *vapor vaporum, & omnia vapor.* Syr: *inanitas inanitatum.* Alii: *nihilum nihil, & omnia nihil.* Vanitas ergo opponitur rei velut umbra. Res enim, putà corpus, est ipsa veritas; cuius vanitas est ejus umbra: Quare, sicut umbra sequitur suum corpus, sic creatura sequatur suum Creatorem; nè evanescat, & in nihilum abeat. Omnis enim res creata, in fieri, esse, & conservari, pendet à Deo, sicut radius à sole. Quare, sicut, sole se subducente, radius evanescit; sic Deo manum, id est, operationem, & conservationem, suam subducente, res creata redit in suum nihilum. Cornelius hic.

Trahe me post te. Cant. 1. 3. Cur trahi petit, quæ potius ducenda; imò & ultrò itura, & properatura, videbatur? Nota: non dixit trahe me ad te, sed *post te:* quia non-

dum celestis unionis deliciis idoneam se agnovit; altioris virtutis semitam, quâ ad illa disponeretur, postulavit. Mutavit igitur vota; cum prius sub sacri osculi petitione, unionem cum Christo suspirarat. Sciebat, non nisi calcatis Christi vestigiis, perfectionem illam consequendam. S. Bernardus l. 21. an hoc dicit (osculetur me) cupiens dissolvi, & esse cum Christo? Hoc sentirem, si dixisset, trahe me ad te: nunc autem quia dicit, *post te;* magis illud postulare videtur; ut conversationis ejus valeat vestigia sequi - in his quippe maxime opus adiutorio; quò valeat abnegare semetipsum, & tollere crucem suam; & sic sequi Christum. Hic prorsus trahi necesse habet sponsa - quam pauci post te, Domine JESU, ire volunt; cum tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit, hoc sentientibus cunctis: quia *delectationes in dextera tua usque in finem.* Psalm. 15. 11. Et propterea omnes volunt te frui; & non ita & imitari: conregnare cupiunt; sed non ita cupiunt compati. Ramirez in Apoc. 2. ep. 4. Magnus amor, amantem sequi. Nos quidem, si vel parum dilexerimus, dilectum post nos sequi volumus: non enim ejus voluntatem implere studemus; sed nostræ illum cupiditati subservire, non ore, sed votis, expeimus. Oliva t. 2. Strom, §. Trahe me.

Ex Novo.

Ascendente eò in naviculam, secuti sunt eum Discipuli ejus. Matth. 8. 23. Ingressus est Dominus mare, secuti sunt eum Discipuli, sociique fuerunt procellæ. Fidelium amicorum est, Christum, non per terras solum, sed etiam per fluctus, sequi. Barradius t. 2. l. 5. c. 15.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Luc. 9. 23. Galfridus apud Godefridum: *si quis vult;* quasi nullus hoc velit, aut rarus. Omnes ad beatitudinem cupimus pervenire; quam nunquam invenire possumus sine ipso. Ergo ad eum omnes pervenire volumus; sic utinam post eum. Ramirez antè citatus.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves &c. Luc. 15. 4. Ovicula illa læta pascua relinquit exerrans; sylvas, & montes, obit, & per inaccessa vagatur, lupis futura præda. Venit Pastor bonus, amore, non cupiditate, inflammatus; ovem perquirat anxius, felix invenit, & lætus humeris imponit. Ecce ovis errans rupi timore concutitur, asperò itinere fatigatur, irriguis pascuis privatur, inediâ urgetur; Pastori approximat, quarenti adhæret: quid tunc? inscendit humeros, & ad læta pascua, sine fatigatione defertur. Sanct. Basilius Seleuc. orat. 26. quâ ratione erroribus ejus finem faciam? tantum se reddat oculis nostris, humerosque inscendat. Pastorem secuta, non graditur, sed fertur: recedens non fertur, sed errat. Il. 40. 31. *assument pennas, sicut aquile; current, & non laborabunt;*

rabunt; ambulabunt, & non deficient.
Naxera in. Jos. 3. §. 36.

Et festinans descendit; & excepit illum gaudens. Luc. 19. 6. Duplex illecebra festinantis ad Jesu: tum quod descendit; tum quod non è rupe per salebras; sed ex arbore per frondentes amos, ad CHRISTUM mollibus gradibus desiliit. Et clamas adhuc, ad Innocentiam per dumeta; & scopulos, duci homines? Oliva fer. §. Dom. Passion.

In principio erat verbum. Joan. 1. 1. Et, qui verbum videt, qui particeps verbi est; utique & ipse est: quia verbum DEI semper est. Et sermo, qui de ipso est, non est est, & non; sed est, & manet in eo, qui sequitur DEUM. Qui autem nescit verbum, non est: quia non adheret ei, qui dixit: *ego sum, qui sum.* Qui autem adheret ei, unus spiritus est. S. Ambrosius, in Pl. 36. Et transivi, & ecce non erat &c.

Ecce agnus DEI. Joan. 1. 29. Subest hic forte ustrinæ, ferrive, suspicio: times, nè te agnus concepat? Non te nudabit; sed sua vellera vestiet. Fœnò; non carne, non sanguine; sed lacte saginatur. Imò, si agnus est; non procul à se ovem; id est, Matrem suam abesse testatur; quæ te suis uberibus enutriet. Oliva fer. §. Dom. Pass.

Sequere me. Joan. 1. 43. Unius sequela excludit à cæteris, maxime Christi; quæ ab omnibus aliis absolvetur. In sequela Domini factus, ab omni imperio factus est liber; si adversa præciperet. Primam viæ secundam patriæ dicimus esse sequelam. Una virtutis, alia gloriæ viam tenet. Generat prima secundam; & secunda primæ se præmium facit: qui primam abhorret, secundæ speciem non habebit. Sim. Cass. l. 9. c. 9.

Sequebatur eum multitudo magna. Joan. 6. 2. Utilitate corporis magis, quam animæ, ista multitudo concurrebat. Toletus hic.

Ante eas vadit & oves illum sequuntur. Joan. 10. 4. Non antecedunt Dominum oves Domini, sed sequuntur: non Dei imperium ad sua vota deflectunt; sed voluntatem suam divinæ pedissequam voluntatis faciunt. Oliva l. 10. Strom. §. ante eas vadit.

Eamus & nos, ut moriamur cum illo. Joan. 11. 16. Ecce bonus commilito: qui ad probitatem & focios animat; & velut ignitus carbo alios extinctos nititur facere redivos: & à mortis pavore jam factus extraneus,

alios invitat ad mortem. Dignum omnino ratus, omnes milites, si expedit, mortem subire cum Duce; maxime illam modicam catervam, post cælestis Ducis mortem, vitâ judicabat indignam. Propterea omnes hortatus est ad mortem, si ipse mori decreverit. Ac si diceret: quid nobis vita post Ducem? estne pretiosior vita omnium nostrum, quam Ducis, & Domini omnium? Quid eam sequi cunctamur, si vult ad bella procedere; ubi nos non antè præmittit; sed ipse primus vult habere congressum. Cur sibi adhesimus, si sequi retardamur? cur ei fidem dedimus; si terga vertimus sine bello. Magna nobis adscriberetur ignavia; si ipsò jubente, nollemus præcedere, nondum sequi Dominum præeuntem. Magna fidei, & amoris, adhesio erat in Thoma, qui timori mortis respodium dederat; animabatque fueros hujuscemodi timorem abjicere. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Joan. 12. 26. Observatio Burgensis: attendendum est, quod de justis, & perfectis, qui fuerunt ante adventum CHRISTI, sæpe dicitur in scriptura, quod *ambulavit coram DEO*: ut dicitur Gen. 17. 1. 4. Reg. 20. 3. De justis autem, qui fuerunt post adventum CHRISTI, non dicitur, quod ambulaverunt coram Deo; sed potius, quod sequuntur, DEUM. Quod discrimen? DEUS passus à non passo differt. Cum tu quempiam cupis iræ focium, dubitasque, an constans sit comes futurus? curas, ut juxta te vadat, aut præcedat. Sed cum certum habes, quod non te destituet; securius pergis, licet ille te à tergo sequatur. In vetere testamento, quia DEUS nondum passus, coram se, & ob oculos, habebat servos suos: ut cui dubium erat, num obsequentes eos habiturus esset? quocumque illos duceret. At postquam pro hominibus passus; cum tanta sit hujus exempli efficacitas, & plenum hiis antibus vulneribus illius tergum; *venite post me*, inquit non semel; & sequi sæpius jubet, velut certus, facile secuturos: quos & lingua illius invitabat; & quot vulnera, tot quasi ora, multò potentius inclamabant. Did. Niss. D. 1. Pasch.

Sequere me. Joan. 21. 19. Sollicitum ostendit, ac familiarem, quò erga ipsum afficeretur, affectum; Christum autem sequi hic intelligo, operum in omnibus, ac verborum, impletionem. Theophylactus hic.

